

RA-164
R. P. BENEDICTI

P E R E R I I

* VALENTINI, ESO.
CIETATE IESV:

COMMENTARIORVM ET DISPVTTATIO
num in Genesim, Tomi Quatuor.

CONTINENTES HISTORIAM MOSIS AB
Exordio Mundi, vsque ad obitum SS. Patriarcharum Iacobi &
Iosephi; idest, explicationem totius primi & præcipui
Sacr. Scriptur. libri, qui, GENESIS,
vulgò inscribitur.

OPVS AB AVCTORE MAGNO ANIMO SUSCEPTVM, INCENTI OVE DILI.
gentia & labore ad finem vsque perductum; non solum SS. Theolog. professoribus & candi-
datis, Diuini verbi Concionatoribus, Ecclesiasticis & historicis omnibus
utile; sed etiam ad Diuinar. Scripturar. intelligentiam
cuius necessarium.

Nunc iterum in Germania, multo quàm antea correctius & ornatius
in lucem editum.

Adiecti sunt, vniuerso operi deservientes, Indices quatuor; Primus Argumentorum, Disputationum, & Questionum;
Secundus Rerum & verborum alphabeticus; Tertius, eorum quæ pertinent ad doctrinam Moralem,
& vsum Concionantium; Quartus deniq; Locorum Sacr. Scripturæ
fusi explicatorum.

PERMISSV SUPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Ex officina Antonij Hierati, sub Monocerote.

Anno M. DC. VI.

Cum gratia & priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis.

Ælian. lib.
7. cap. 18.

Arist. li. 6.
de histor.
anim. ca.
34. & li. 3.
de generat.
anim. c. 6.
Ælian. li.
1. ca. 26.

53
Solin. c. 33.
Lycaon.

Sealiger
exerc. 217.
Feles vo-
lantes.

54

55
Plin. lib. 8.
ca. 21.
Leocro-
cuta.

56
Plin. lib. 8.
Eale.

Boa.
Plin. lib. 8.
ca. 14.
Sealiger
exerc. 183.
Serpentes
regionis
Calicut.

57

Arist. li. 2.
de Hist. a-
nim. ca. 1.
Plin. lib. 8.
cap. 21.
Idem ib. d.
Taurus
cornimo-
bilis.

58
Claus.
Plin. lib. 8.
ca. 19.

59

Crocota.

maior, pedesque longiores & humanis similes: crassæ item furæ atque humanis propiores. Non ferat præda, sed erutis alitur cadaueribus, in specubus stabulatur: quam venatores cantu atque tympanorum pulsatione delinitam, laqueis iniectis capiunt. Vtrumque ei sexum esse, & alternis annis mares, alternis foeminas fieri, & parere sine mare à nōnullis creditū, refert & refellit Aristoteles. Hoc tamen de Hyana serpente vtriusque sexus participet tradit Ælianus. Collum & iuba continuitate spinæ porrigitur, flectique nisi circumactu totius corporis nequit, sermonem humanū inter pastorum stabula mirè assimulat, nomenque alicuius addiscit, quem euocatū foras laceret. Vomitionem hominis mentitur, ad sollicitandos canes quos inuadat. Ab hoc vno animali fertur sepulchra erui inquisitione corporum. Huius oculis mille esse varietates colorumque mutationes, eius umbræ contactu canes obmutescere, & quasi magicis quibusdam artibus omne animal ter ab hoc lustratum in vestigio hære, huius coitu Leana Æthiopica parit Leocrocutam, de qua dicitur infra. 12. LYCAON. Æthiopia mittit Lycaonem lupini generis, ceruice iubatū, & tot modis variū, ut nullum illi colorem dicant abesse. Poëtarum est figmentum, Lycaonem fuisse regē Arcadiæ, propter incredibile eius impietatem & crudelitatem in lupū à Ioue transformatum. 13. VULPES. 14. MUSTELA. 15. FELIS. In Malabar provincia feles sunt agrestes in arboribus agitant. Saltu valent plurimum, sed est peculiaris eorum volatus: idque quod magis mirū est sine alis. Membrana ab anterioribus pedibus ad posteriores usque producta tenditur. Quam dum quiescunt, ad alium contrahunt. Vbi volare instituunt, pedum, crurumque agitatione protenta, collectaque membrana, tum sustinentur, tum feruntur. Mirabilis est eorum, tanquam per aërem currentiū species. An hæc species Feliū volantium, à specie nostratium felium diuersa sit necne, doctis viris existimandum & iudicandū relinquo. 16. CANIS. Quanquam hæc duo animalia, Felē dico & Canem, etiam sine carnibus vitam agunt, nec proprium in arca locum desiderauerint, cū in habitatione hominum versari potuerint. 17. VITVLVS marinus. 18. CROCODILVS. Sed hæc duo in aquis viuere possunt. 19. LEOCROCUTA. Scribit autem Plinius, Leocrocutam perniciosissimam esse ferā asini ferī magnitudine, ceruicibus ceruinis: collo, cauda, pectore Leonis, capite melium, bifidula ungula, ore ad aures usque rescisso, dentiū locis ossē perpetuo, humanasque voces mirè imitantem, ex Hyana & Lernā generatam. 20. EALE. Magnitudine equi fluuialis, cauda Elephanti, colore nigra vel fulua: maxillas apri, maiora cubitalibus cornua habens mobilia, quæ alterna sistunt in pugna, variatque infesta aut obliqua, prout ratio monstrauit. 21. SERPENS BOA. Hi serpētes in tantam amplitudinem excrescunt, ut principatu Claudij, quemadmodum tradit Plinius, vna earum occisa in Vaticano, solidum in aluo habere infantem spectata sit. Aluntur primo bubuli lactis succo, vnde nomē traxere. In Senegæ regno angues nascuntur denu pedum longitudine, tanto hiatu, caprā integram ut deglutiant. In Calicut, serpentes sunt capite & crassitudine suilla, quadrupedes, cauda lōga, glabri, denu pedum longitudine, sine veneno, sed nihilominus tamen malefici, dentibus quippe conficiunt homines. 22. MANTICHOEA, humanarum carniū audissimè appetens. Cuius super omnes animantes sauitiam atque truculentiam disertis verbis, auctore Ctesia, describit Aristot. & ex hoc mutuatus etiā Plinius. 23. TAVRVS cornimobilis, venatu viuens, hunc fert Æthiopia atrocissimū, maioremque tauris agrestibus, velocitate ante oēs, colore fuluo, oculis ceruleis, pilo in contrarium verso, rictu ad aures dehiscente, iuxta cornua mobilia, tergo duritia silicis, omne respuēs vulnus. Feras oēs venatur, ipse non aliter quam foueis captus, feritate semper interit. 24. CHAUS. 25. CEPHVS. Pompeij Magni primum ludi, ait Plinius, ostenderunt Chaum, quem Galli Raphium vocabāt effigie lupi, Pardorū maculis. Idem demonstrarunt ex Æthiopia quos vocant Cephos, quorū pedes posteriores, pedibus humanis & cruribus, priores manibus fuere similes. Hoc animal postea Roma non vidit. 26. CROCVTA, velut ex cane Lupoque cōcepta, omnia dentibus frangēs, protinusque deuorata cōficiens vērre.

27. AXIS fera, hinnuli pelle, pluribus candidioribusque maculis, sacra libero patri, ut ait Plinius. 28. VIVERRA. Hoc est animal exiguum ex genere mustelarum quo venatores vtuntur ad cuniculos ex antris & specubus extrahendos. Lege Plin. 29. ICHNEUMON, huic bellum internecinum est cum aspidibus & Crocodilis. De his quoque Plin.

30. EST animal Sclauonicè dictum ROSSOMACHA, ut refert Olaus Magnus ab incredibili voracitate appellatum, quod Latine diceretur Helluo: Cuius crassitudo ut magni canis: aures & facies velut Catipedes & ungula asperissima: corpus villosum & prolixorum pilorum colore subfusco, cauda ut vulpis, licet breuior, sed crinium densiorum: vnde optima conficiuntur hyemalia capitis tegumenta. Hoc igitur animal voracissimum est. Reperito namque cadauere tantum vorat, ut violento cibo corpus instat tympani extendatur: inuentumque angustia inter arbores, se stringit ut violentius egerat: sicque extenuatum reuertitur ad cadauer, & ad suum usque repletur: iterumque se stringit angustia priore, repetitque cadauer, donec eo consumpto, aliud sollicita venatione inquirat. Eius caro omnino inutilis est ad humanam escam, sed pellis multum comoda atque pretiosa. Sic Olaus.

Sunt præterea quatuor species paruorum animalium cibum ex aquis petentium, in terris tamen degentium: Vti sunt 31. LATAX. 32. FIBRIS. 33. SATHERIVM. 34. SATYRIVM. 35. LVTRA. De quibus vide Aristotelem, & Plinium. Sunt igitur prædictæ species Carniuorum animalium triginta quinque. Sed propter aliquas fortasse quæ nostram & aliorum scriptorum notitiam & diligentiam fugerunt, faciamus eas quadraginta. Huiusmodi verò animalium pauca sunt maiora lupis, nec multa illis paria, quam plurima verò minora, sed redigamus ea ad mensuram luporum, ut quantum ad occupationem loci in Arca instar fuerint quadraginta parium luporum.

NONA DISPUTATIO.

De animalibus non carniuoris, & magni corporis quæ in Arcam ingressa sunt.

ANIMALIVM non carniuorum, & magnitudine corporis præstantium multæ sunt, multisque rebus insignes admodum species, quas ego ut ex doctis ac diligentibus curiosisque scriptoribus cognitatas habeo, hic enumerando recensere, adiecta quorundam, quæ non omnibus nota sunt, breui explicatione. 1. ELEPHAS. 2. BOS vnicornis. 3. RHINOCEROS. 4. MONOCEROS. De his duobus animalibus nihil legi apud Aristotelem, ut ignota ei fuisse videantur. Plinius autem & Solinus breuissimè describunt. Primum Ludis Pompeij Magni Romæ spectatū fuisse Rhinocerotem, cui color buxeus, in naribus cornu vnicum & repandum, quod subinde attritum cautibus in mucronem exacuit, eoque præliatur aduersus Elephantos, magnitudine paulò infra ipsos, breuioribus tamen cruribus, naturali telo alium petens, quam solam intelligit ictibus suis peruiam.

MONOCEROTEM ex Plinio item & Solino ad hunc modum licet describere: Atrocissimum monstrum, magitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus, cauda suilla, capite ceruino, cornu è media eius fronte protenso splendoris mirifici, ad longitudinē (secundum Solinum) pedum quatuor, vel (secundum Pliniū) duum cubitorū: ita acuto, ut quicquid impetat, facile ictu eius perforetur. Viuus nō venit in hominū potestatem, & interimi quidē potest, capi nō potest. Hanc descriptionē nō nihil variat & amplificat Cardanus: Est, inquit, Monoceros animal rarū, equi magnitudine, pilo mustele simillimo, capite ceruino, in quo cornu crescit vnicum cubitorum trium longitudine, media in fronte atque rectum, in imo autem amplum, tendens in aciem, collum breue, iuba rarissima, & in alteram tantum partem tendens: crura velut capreola tenuta, posteriorum exterior pars multo pilo villosa, ungula bifida: denique non absimilis cerui, præter vnicum illud cornu. Ferum valde animal est, nascens in Æthiopia inter solitudines squalentemque terram & venenatorum animalium refertam. Sed eius cornu mirandum in modum aduersus venena auxiliari creditur.

64
Plin. lib. 8.
cap. 15.
Bubalus
vulgo
Buffalus.
Iulius Sc.
alioq. ex.
12. 106.
argor.
65
Leat. 11.
Dent. 14.
2. Reg. 4.
Plin. lib. 8.
cap. 15.
Arist. li. 3.
de Hist. a.
nimal. c. 6.
or li. 3. de
peris. ani.
mal. c. 2.
Scaliger
exer. 106.
66
Onager.
67
Solim. c. 30.
68
Plin. lib. 8.
cap. 14.
69
Solim. c. 23.
Bisons.

5. **BUBALVS.** De Bubalo hoc tantum scribit Plinius animal esse peculiare Africae, Vituli aut cerui similitudine. Sed id genus animalis notissimū & frequentissimum nunc est in Italia, vocitatum vulgō Buffalus, quem disertē describit Iulius Scaliger: Est, inquit, bonū genus atri, quem Buffalū vocant. Itali nunc, maximi roboris, depreiore quā bos magnitudine, sed corpore compactiore, latiore, pleniore, firmiore. Cornua non tam teretia, quā pressa: nec surrecta, sed deorsum versum retroflexa, etiam domitis maxima ferocia: quæ corrigitur, vitulis anello ferreo pridem naribus inserto: cui summi inditus pro habenis est. Hunc neque Bubalum esse, neque Vrum scio: nam & Vri cornua vidimus: & Bubalis quid sit, coniectura intelligo. Aristoteles in tertio de Partibus ait Bubalos pugnare cornibus: at nostri Bufali nequaquam, sed calcibus vel potius genium compressione. Inepti enim sunt ad pugnam cornua, quia retro versus aversa ac demissa cuspide. Sic Scaliger.

Ceterum bubula caro in sacris litteris ut cibus hominis delicatus, salubris, minimeq; vulgaris memoratur: quippe in animalia munda, quibus solis vesci fas erat Iudeis, numeratur bubalus: & cibus regis Salomonis tum aliorum animalium, tum etiam bubalorum carnibus constabat. Cum igitur talis non sit caro bufalina, qualem esse bubalinam significatur in sacris litteris: Bufalum atque Bubalum diversa facere animalia necesse est. Verum de huiusmodi Bubalis apud veteres perpauci. Apud Plinium quidem illud tantum generari in Africa Vituli ceruice similitudine, & falso appellari ab imperito vulgo Vros. Apud Aristotelem, Bubali sanguinem ut proximum ouillo aliquanto amplius spissari: & bubalis interdum cornua inutilia esse: nam etsi contra nonnulla resistent, & cornibus se defendāt, tamen feroces pugnacesque belluas fugiunt. Plura de his Scaliger.

6. **BOS domesticus.** 7. **CERVVS.** 8. **ASINVS.** 9. **ONAGER.** Est Onager solidis ungulis, sine cornibus. In monte qui Narsingæ regnum diuidit à Malabaribus, cum alię complures feræ, tum Onagri aluntur, equi facie, colore cinereo, agiles adeo, ut capi non facile queant. Africanis quoque Onagris tanta est celeritas, ut cursu vix vili cedant feræ, homine conspecto, in iisdem stant vestigijs, mox rudentes, immotis anterioribus pedibus, posterioribus calcitrant. Vbi tam prope venator accessit, ut manu queat contingere, fuga sese subtrahunt. Eorum caro cocta dum calet, foetet, refrigerata, neque malè olet, neque benè sapit. Africanis, singuli imperitant gregibus feminarum: amulos libidinis suæ metuunt. Inde est quod grauidas suas seruant, ut in editis maribus si qua facultas fuerit, generandi spem morfu detruncant, quod cauentes feminae, in secessibus partus oculunt. Generantur ex equa & Onagris mansuefactis mulæ veloces in cursu duritia eximia pedū, verū strigoso corpore, indomito animo, sed generoso. Onagro & asina genitus oēs antecellit. Onagri in Phrygia & Lycæonia præcipui, pulcherrimi ceu præstantibus sapore, Africa gloriatur, quos Lalliones appellant. Onagrū, ut animal soliuagum & solitudine gaudens, non semel nominat diuina Scriptura.

10. **VRSVS.** 11. **SVS.** 12. **APER.** 13. **HIPPOPOTAMVS.** id est, equus fluuiatilis: quanquā huic cum in aquis possit viuere, non fuit locus in Arca necessarius. 14. **PEGASVS.** id est, Equus pēnatus & cornibus armatus. 15. **BOS Indicus vnicornis.** 16. **CAMELVS Arabicus.** 17. **CAMELVS Bactrianus.** 18. **CAMELVS,** à velocitate cursus dictus Dromas, seu vulgō Dromedarius.

19. **CAMELOPARDALIS** Nabin Aethiopes vocant, collo similis equo, pedibus & cruribus boui, Camelo capite, albis maculis rutilum colorē distinguuntibus: Vnde appellata Camelopardalis: Dictatoris Cæsaris Circensibus ludis primū visa Romæ. Ex eo subinde cernitur aspectu magis quā feritate conspicua: quare etiam Ovis feræ nomen inuenit. Sic Plinius. 20. **VRSVS.** Vrorum qui in Hercynia silua Germaniæ generantur, elegans apud Cæsarem legitur descriptio: Tertium, inquit, genus ferorum est eorum qui Vri appellantur. Hi sunt magnitudine paulo infra Elefantos, specie & colore & figura tauri: magna vis est eorum & magna velocitas: neque fera quā conspexerunt parciunt. Hos studiose foueis captos interficiunt: assuescere ad homines & mansuescere, ne paruuli quidem excepti possunt. Hæcille. 21. **EQVVS ferus.** 22. **ASINVS ferus.** 23. **BISONS.** In saltu Hercynio, & in omni Septentriona-

li plaga Bisontes frequentissimi sunt, boues feris similes, setosi, colla iubis horridi, vltra tauros pernecitate vigentes, capti, assuescere manu nequeunt. 24. **BONASVS.** Tradunt in Præonia, inquit Plinius, feram quæ Bonasus vocatur, equina iuba, cetero, tauro similē, cornibus ita in se inflexis, ut non sint vtilia pugnae: quapropter fuga sibi auxiliari, reddentem in ea finem interdum etiam trium iugerum longitudine: cuius contactus sequētes, ut ignis aliquis, ambrat. 25. **ORYX.** Orygem, inquit Plinius, appellat Aegyptius feram, quā in exortu camulæ contra stare & contueri tradit, ac velut adorare, cum sternuerit.

26. **TARANDVS.** Mittit Aethiopia Tarandū, magnitudine boui, bisulco vestigio, ramosis cornibus, capite ceruino, vrsino colore, & pariter villo profundo. Hunc aiunt metu habitū vertere, & cum delitescat fieri assimile cuicunque rei propinquauerit, siue illa saxo alba sit, seu fruteto vires, siue quæ alium præferat colorē. Quod mirabilius videri debet in Tarando, quā in homine alijsve bestiis minimè villosis & cutem mollem habentibus, cum Tarando villus sit Vrsinus, & tergus impenetrabile. Is tamen seipsum cum villis suis commutat, milleq; colorum species cum summo videntium stupore reddit. Scythicū animal facit Alianus, dorso & magnitudine tauri, corio ne spiculis quidem penetrabili. 27. **STRUTHIO CAMELVS.** Animal hoc Africū vel Aethiopicum est, altitudinem equitis insidentis equo excedens, celeritatemque vincens, ad hoc demū datis pennis ut currentem adiuvet: ceterum non sunt volucres, nec à terra tolluntur. His vngulæ sunt ceruinis similes, bisulcæ, comprehendendis lapidibus vtilis, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus. Concoquendi sine delectu deuorata, mira natura: sed non minor stoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine, cum colla fraticæ occultauerint, latere se existimantium. Præmia ex ijs oua, propter amplitudinem quibusdam habita pro vasibus, conosque bellicos & galeas adornantes pennæ.

28. **TRAGELAPHVS** animal specie cerui, barba tantū & armorum villo distans, ob idq; nominatus Tragelaphus: nec alibi quā iuxta Phasim amnem nascens ait Plinius li. octauo capite trigesimo tertio. 29. **HIPPELAPHVS.** 30. **HIPPARDIVM.** De his duobus animalibus ad hunc modum scribit Aristoteles: Hippelaphus satis iuba summis continet armis, qui à forma equi & cerui, quam habet, composita, nomē accepit, quasi equiceruus dici meruisset. Nec non fera, quæ & ipsa ab equo Hippardium nominata est, Capronas parte gerit eadem. Sed vtrumque id genus tenuissimo iuba ordine à capite ad summos arcos crinescit. Proprium Equiceruo villus, qui eius gutturi, modo barbæ dependet. Gerit cornua vtrumque, excepta scemina equi ceruini generis: & bisulcos pedes habet. Magnitudo Equicerui non dissidet à ceruo: gignitur apud Arachotas. 31. **ASINVS vnicornis.** De hoc Aristoteles: Idē animal, inquit, & folipes & bicornis, nullum adhuc notum nobis est, at Solipes idemq; vnicorne est, quamquā rarum, ut asinus Indicus, qui etiā talū solus in solipedū genere possidet. 32. Sardi quoddam animal **MVFLO** vocant, negantque alia, quā Sardinia in regione reperiri. Cerui est & pilo & magnitudine similis. Cursu item valens. Cornibus arietinis retro curuis, ita ut circum aures subeant. Caro esculenta, aspera colit loca. Non est idem cum Musimone aut cum Ibice.

33. **ANIMAL** vulgō dictum **MAGNUM** animal. Sub Boreali polo animal nascitur Ceruo simile, cruribus anterioribus longioribus, carneā habens promiscidē, breuem tamē: cuius vngula si collo appendatur, comitiales morbos sanare si quid aliud, posse creditur. Quoniam dū hoc morbo laborat animal ipsum (nam comitali morbo laborat) non prius excitatur, quā vngue posterioris pedis auri intulerit: tunc enim protinus excitatur à morbo. Timidum est & imbecille supra quā credi possit, & ex quocunque minimo vulnere moritur. Est enim cordis frigidissimi, ac cerebri nō solum frigidi, sed pituita redundantis. Habet aut cornua peculiari quadam forma prædita, & nulli ferē animali similia: nam crassa ab imo vbi ascendunt, latiora palmo sunt. Abundat apud Dacos finitimasq; regiones, vulgarisq; nomine Magnum vocant animal. Ceterum ab Alce plurimum differt. Alces enim, ut Cæsar eum describit, Capro similis est & maculosa pelle, & crura sine iunctura habet: Huius verò iuncturas videmus, & pellem Ceruo similem. Hæc Cardanus.

Plin. li. 8.
cap. 15.
Bonasus.

Plin. li. 2.
cap. 40.

70
Solim. c. 33.
Tarandus

Alianus
li. 2. c. 16.
Plin. li. 10.
cap. 1.
Struthio-
camelus.

71

72
Arist. li. 2.
de Hist. a.
nimal.
cap. 1.
Hippelaphus.

Arist. li. 2.
de Hist. a.
nimal.
cap. 1.
Asinus v-
nicornis.
Scaliger
exer. 106.
Muslo.

73

74
Cardan. li.
10. de sub-
tilitate.
Magnum
animal.

Cæs. lib. 6.
de Bel.
Gallico.